



~~217~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. D. B. V.
DE
DÆMONOLOGIA
RECENTIORUM AUCTO-
RUM FALSA,

Disputabit publicè

NATHANAEL Wald / SS.

Theol. Lic. & Ejusd. vocatus apud Steti-
nenses in Gymnasio Regio Prof. Prim. ibidem ad D. Mariæ
Pastor, ac Præpositus; hætenus Collegii Philos. in
hâc almâ Adjunctus, & h. t. Decanus.

RESPONDENTE

JOHANNE Surmann /

Bistricio - Transylv.

In Auditorio Majori,

Die I. Octobr. A. O. R. M. DC. XCII.

Horis Pomerid.

VVITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII

33

3763

L. M.



D. D. B. V.

DE
DÆMONOLOGIA

RECENTIORUM AUCTO-

RUM FALSA,

Disputatio publica

NATHANIEL BÄHR / 22.

Theol. Lic. & Pseud. vocatus apud Stei-

neris in Gymnasio ego Prof. Prim. ibidem ad D. Marti-

ni Rector, ac Praeceptor; hactenus Collegii Philol. in

hactenus Vindob. & in Lipsia.

REVOLVIT

JOHANNES SCHNEIDER

Philol. - Lipsia.

hactenus Marti.

Die I. Octobr. A. O. R. M. DC. XXII

Hans Pöppel

WITTEBERG.

Typis MARTINI SCHNEIDER





Q. D. B. V.

DE

DÆMONOLOGIA RECENTI-
ORUM AUCTORUM FALSA,

Dissertatio II.

*Ortum Dæmonologias falsæ & Pro-
gressum historicè declarans,*

Respondente

JOHANNE Surmanni

Bistriciô Transylv.

S. I.

Disseram de Dæmonibus, atque in id enitar,
ut constet, quàm improvidè & contra rationis,
(cujus solius ductum sequor) apertissimum dicta-
men senserint, qui tum nostris, tum Patrum tem-
poribus vel negare omnem Dæmonum existentiam, vel falsis
illorum naturam lineis pingere instituerunt. Hoc ut rectius fa-
ciam, opus ab initio ordiar, & quomodo per varias olim tem-
porum gentiumque differentias, falsa hæc & à ratione aber-
rans Dæmonologia propagata fuerit, id verò præsentis ex-
plicandi operâ ostendam. In quo argumento non de Nomi-
ne Dæmonum multum disputabo; judicet *Plato in Cratylo* p.
397. secutus *Hesiodum*; τὰς δαίμονας, ὅτι φρονίμοι, καὶ δαίμονες
ἦσαν, δαίμονας αὐτὰς ἀνόμασε. Dæmones appellatos esse quasi
δαίμονας, h. e. rerum intelligentiâ & sapientiâ valentes; idq;
ideo, quoniam qui bonus mortuus est, magna cujusdam

A

fortis

sortis consequatur dignitatem, & *δαμόνιον* sit, ex illa sapientiae appellatione. Alii, non refragante Eusebio, Dæmones dictos ducunt à *δειμάω*, quod est pavescio, terreo, quoniam Dæmonum spectrorumque proprium fere est, ut terreant: Steuchus tandem Eugubinus *deperenni Philos. p. 512. seq.* Pro Hebraica vocis origine depugnet. Nobis perinde est, quamcunque demum amplecti sententiam ex recensitis placeat; dummodo id non omninò negligatur, quod vocabuli derivatio sensum plerumque eorum respiciat, qui Nomen ipsum rei per illud denotata imposuerunt. Horum placita evolventi patebit, non semper terrendis hominum mentibus, sed excitandis lætificandisque adhibitum fuisse nomen, quod ex prisca sapientum Philosophiâ, & bonis mansuetisque Intelligentiis, & terribilibus ac maleficis applicandum erat.

§. 2. Ita enim accepimus, Gentilium Philosophos ipsum quandoque Deum, mox bonum quemcunque Genium, demum Intelligentias ad omne malum compositas, Dæmonum Nomine appellasse. Quanquam enim nihil penes eos frequentius erat, quam ut Naturæ inter Deos & homines Mediæ (uti describebant Intelligentias) Dei quoque appellationem tribuerent, non tamen religioni sibi ducebant, præterea supremum & singularem Deum titulo Dæmonis insignire: Taceo de Homero, Aristophane, aliisque; vetustissimus inter Sapientes Paganos *Orpheus* de Jove loquens ita canit:

Ἐν κρατῶ, εἰς δαίμων γέγρο, μέγας ἀρχὴ ἀπάντων.
Imperium, Dæmonque unus, mundique ingens Rex.

De bonis Geniis manifestior res est, & frequentissima horum sub nomine Dæmonum appellatio. Infinita prope loca hic cumulare possem, si argumentum illud proluxa explicatione indigeret. Certe *Plato in Symposio* Dæmones ferè tantum refert ad Intelligentias, quæ nobis Angeli boni sunt. *Etenim omne Dæmoniorum genus, inquit, interjacet inter DEUM, & mortales, referens Divis res humanas, hominibus divinas, hominum quidem preces, & sacrificia, Deorum imperia & premia sacrificiorum &c. quæ de Natura & substantia hominibus bene cupiente, sicq;*
tantum

tantum de bonis Angelis intelligenda esse, nemo non videt. In *Epinomide* & *Timeo* perpetuum propè est, ut beneficæ intelligentiæ Dæmonum appellatione salutentur. Quid dicam de Maleficis & humano generi noxiis? Provoco ad *Stenobum Eugubinum*, quo nemo fufius & majori opera ostendit, quod ad substantias pessimas, Deo tamen & hominibus contra distinctas, hoc nominis traductum ab antiquis sapientibus & studiose applicatum fuerit; *Vid. ille de Perenni Philos. Lib. 8. Cap. 26. 27. 28.* Sed illud peculiare est, & observationem meretur, quod non Deum modo, non Naturas tantum inter Deum & homines medias, sed ipsos quandoque homines Dæmonum venisse Nomine Gentilibus, compertum est.

§. 3. Non potest hæc in apertam lucem deduci sententia, nisi de Distinctionibus Dæmonum, quas fingebat veterior persuasio, clarius constiterit. Sed & hic intricata res est, cum, quos alii Dæmones dicerent, illi per aliorum placita ex Numero Dæmonum excluderentur, nonnunquam & varia Dæmonum genera mirè inter se permixta ac confusa proponi solerent. Ut tamen in his tenebris, quantum fieri potest, faces quasdam veritati accendamus, id dico, quod Gentiles præter Deum summum aut Deos (quos multi, meliora sentientes ex vulgi tantum metu plures asserabant) constituerint Dæmones specialiter ita dictos & Heroas: Ægyptiorum antiquissimam in hoc negotio Theologiam breviter nobis videtur complexus esse Jamblichus de *Mysteriis Ægyptiorum*: *Primum*, inquit, *Divinorum est ipsum Bonum (i. e. summum) Diique sequentes: Ultimum Particulares animarum rationales; horum media duo sunt, scil. Heroes prope animas, & Dæmones prope Deos: Heroes potentia, virtute, pulchritudine, magnitudine nobis præstant, tamen cum animâ nostrâ & vitâ ejus multum congruunt: Dæmones sunt superiores Heroibus, & ministri eorum tanquam in officio mundano. Quæ sunt in Diis ineffabilia & occulta, Dæmones exprimunt atque patefaciunt. Dæmones & Heroes accommodant inferioribus universales, simplices, immobiles Deorum dotes, & conciliant omnia, atque harmonici consensus & compassionis omnium invicem sunt authores &c.* Dum Dæmones

A 2

appellat



appellat Jamblichus, constat quod de iis locutus fuerit substantiis, quas communiter Intelligentias dicebant, medias inter Deum & homines: sed quæras, quinam hoc loco Heroum nomine veniant, cum pateat illos Dæmonibus in adversum poni? Res benè intelligenda est; Quos Jamblichus Heroas appellat ex Ægyptiorum sententia, eos Plato, qui ab Ægyptiis, Plutarcho teste, doctus erat, in numerum Dæmonum compingit: quod de eo fatetur Hierocles Stoicus, qui Pythagoræ Carmina enarrans ex Platonis sententia, ait, *genere Dæmonum & Angelos & Heroes comprehendit, ut quantum ad cælestes spectarit, dicantur Angeli, quantum ad terrestres, Heroes: quantum ad medios, Dæmones.* Imò verò Heroes in ordinem Dæmonum refert Plato in *Epinomide*, &c. *quidē vocat, generatos altero Parente Deo, altero mortali, quod ait in Cratylo*; hucque refert *Herculem Dionysium, Æneam, aliosque*; quamvis sibi ipsi vix constans, eodem loco Dæmones dicat esse probos homines, quibus post mortem id præmiū sit datum, ut Custodes essent, & quasi Mediatores generis humani. Quod quamvis in hunc sensum intelligi possit, ac si Heroas hos post fata demum in Catalogum Dæmonum referri, Plato censuerit, clarius tamen se explicat mox in eodem Dialogo, loco ante adducto p. 397. Nam cum sententiam Hesiodi retulisset quæ mentes Dæmonum appellatæ erant nomine, postquam eos fatalis condidisset hora id ipsam exponens Plato, de *Viris aureis* h. e. bonis sapientibusque, intelligi debere prædicat, non mortuis tantum, sed & viventibus: Ad hunc ergo modum ait, *asero equidem sapientem, quis quis bonus fuerit, viventem & ut a functum Dæmonium esse, recteque Dæmonem vocari*; Cui assensus Hermogenes, ire se in eus (Hesiodi) sententiam fatetur.

§. 4. Dum hæc refero, hæcenus Platonem sentio id honori tribuisse Virorum sapientum & optimorum, quod Dæmonum haberentur loco, sed constat tamen, alios, imprimis Plotinum, (quem ferunt ceteris excellentius intellexisse mentem Platonis) in primo Libro de dubiis anime, Dæmonum appellatione post mortem pessimos etiam mortalium maclasse; quamvis non bonorum Dæmonum numero, sed eorum, qui nocent,

& cri-

& criminum rei sunt, eosdem adscriptos velit. Male id habet Augustinum, unde in Lib. 9. de Civit. Dei Cap. 11. sententiam Plotini his verbis refert. Dicit equidem & animas hominum Dæmones esse, & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sunt, lemures seu larvas, si mali. Et post pauca: Larvas proprie esse noxios Dæmones ex hominibus factos. Quo loco, ne uberius de Larvis, Lemuribus, Manibus, Geniisque ex sententia Gentilium dicam, egregia Commentatione, quam hic addit, & rem omnem distincte explicat, prohibere videtur Ludovicus Vives, ad quem provocasse suffecerit. Plotino multo vetustiore jungere possem Pythagoram, ille enim teste Laërtio in Vit. Pythag. totum aërem animis ψυχῶν esse plenum putabat, καὶ τῆς δαιμονίας καὶ ἡρώων ψυχῶν, i. e. eosque & Dæmonas & Heroes existimari: de illis (ita Plutarchus Lib. 1. de Placit. Phil. Cap. 8.) cen-
sebat, quod genii sint, & substantia animā prædita: De his, quod sint animæ à corporibus separate, & bonos quidem Heroes, si animæ bonæ; malos, si malæ.

§. 5. Quid autem mirum est, quod homines promiscuè omnes Dæmonum venisse Nomine, priscis Authoribus deprehendamus? ipsi certe nescio quos tandem sibi fingebant Dæmones: cum saepe non animas, sed partem tantum quandam illius, nempe mentem, Dæmonium esse assererent. Porphyrius certe, Plotini Discipulus, Dæmonem dicebat unicuique proprium, esse quandam animi partem, nempe Mentem, illumque esse felicem & εὐδαιμόνα, qui sapientem sortitus est mentem; infelicem, qui contra: addit: animas quoque vitis infectas in malorum Dæmonum naturam transire, reddique illorum similes mendaciis & imposturis. Consentit Apulejus, & animam humanam, etiam uti nunc in corpore est, δαιμόνα nuncupari asserit; Vid. Ludov. Vives l. c. Ex quibus omnibus id colligo, quod quanquam illi, quos Heroes dicebat Plato, ipse Animas esse voluerit hominum tantum sapientum à Corpore separatas, non negasse tamen, quod viventibus etiam Viris bonis, & optima mente vel animo præditis Dæmonum appellatio, tanquam quid excellens & in laude ponendum, competat. At non hic substituisse auditores Pla-

sonis sed Pythagoram aliosque ex antiquioribus Philosophis
tecutos, improborum etiam hominum animas post exitum à
Corpore in numerum Dæmonum sed malorum revocasse cre-
dendum est. Plura de Heroibus vid. ap. Ludov. Vivem l. c. p.
601. seq. Conf. etiam Heinsius introductione ad Hesiodi opera & diet,
Cap. 10.

§. 6. Sed hos omnes tandem, quos dixi, utpote huma-
no generi propius accedentes, omninò segregatos Philosophi
illi volebant à Dæmonibus in specie ita appellatis, quorum
nempe natura propiori nexu Deos contingeret: Hic vero pro-
lixa nobis dicendi copia panderetur, si inquirere in omnes ho-
rum Dæmonum confictas species conaremur. Plato fere tan-
tum de bonis Dæmonibus (quos cum malis confun-
dit) in *Epinomide* & *Symposio* vult intelligi, quos in aere versari
putat, & legationibus à Diis ad homines fungentes, quin ab
his ad Deum reduces precum delatores & supplicationum esse
declarat. Sed alii ulterius progressi, mediam inter Deos &
homines naturam constituebant, eamque non tantum eo-
rum, qui bonum operarentur, sed qui ad omne malum & sce-
lus inclinarent. Hos omnes locis plerumque suis distingve-
bant, præeunte Orpheo, qui ad Musæum scribens, constituit
δαίμονας ἑρηνικοὺς καὶ ἀερίους, καὶ ἐνυδρίους, καὶ χθονίους, καὶ ὑποχθονίους,
Dæmones cælestes, & aëreos, & aqueos & terrestres, & subterraneos.
Qua partitione non contentus Marcus quidam, (qui in Cher-
rhoneso, Græcis conterminâ, solitariam vitam egerat, & si
quis alius, in Dæmonum cultu profecerat, inspexeratque ap-
paritiones Dæmonum) apud Michaelem Psellium *Lib. de Dæmoni-*
bus p. m. 336. seqq. sex constituit Dæmonum Classes, pro cælestibus igne-
os allegans, & tandem Luciferum seu tenebricosum genus adjiciens,
de quibus omnibus quomodo se transforment, nobis insinu-
ent, nosque moveant, varia, sed non sine risu dimittenda,
narrat. Et, si à Gentibus abire vellem hîc allegandus mihi *Tri-*
themius foret, ille plusquam paganâ fide fabulas has de vario
Dæmonum genere prolixo sermone referens *L. 8. Quest. ad Ma-*
ximilian. Cesar. Quest. 6. Verba ejus descripsit *Delrio in Disquisit.*
Mag.

Mag. L. 2. Quest. 27. Sect. 2. & notis suis illustravit, quem eo libentius hic allego, quoniam prolixâ commentandi operâ de Dæmonibus non tantum aëreis, sed & aqueis (quæ Poëtis frequentissimè memorantur utpote *Najadibus*, *Nereidibus*, *Nymphis*, &c. aliisque masculini sexus & terrestibus, uti *Faunis*, *Satyris*, *Lamiis*, *Furiis*, *Larvis* &c.) nos hac vice sublevavit, cui addi potest, qui & hic Delrionem κατὰ πόδα, uti solet, sequitur *Gasp. Schottus in Phys. Curios. L. I. C. 12. subsequentibus passim.*

§ 7. Enimvero quid tandem de hac Gentilium in enarrandis Dæmonibus suis industria & persuasione dicendum est? an credemus, si non Deos, tamen Heroes & Dæmones eodem illis venisse censu, ut & nobis hoc loco de utrisq; res esse debeat. Ita vero existimaverit, qui in Historia & scriptis Gentilium Philosophorū hospes est. Certe quomodo Ægyptii inter Dæmones, Heroes, Animas distingvant, ex instituto docet *Jamblichus de Myster. Ægypt. pag. 32. 33.* Sed placet tamen nobis maxime *Procli* in Schola Platonis versatissimi Philosophi explicatio, quam affert *Coment. in Alcibiadem Platonis.* Jam vero, inquit, & hoc manifestum est, ubi *Plato* in *Timæo* Dæmonum ait, animalis in nobis rationem constitutam esse. Veruntamen hoc usque ad comparationem quandam nobis est admittendum. Alius enim est ipsa essentia Dæmon; alius habitu vel habitudine Dæmon. Ubique enim, quod proxime præest, in quodam Dæmonis ordine, ad inferius sese habens, appellare Dæmonem consueverant. Quo usu *Jupiter* apud *Orpheum* *Saturnum* Patrem Dæmonem appellavit. Et ipse *Plato* in *Timæo* Dæmonas nuncupavit Deos illos qui generationem è propinquo disponunt, ubi ait: De aliis verò Dæmonibus tractare, eorumque generationem in lucem edere majus est quam ferre humanum possit ingenium. Comparatione utique Dæmon est ejusmodi qui videlicet proximè unicuique providet, etiam si Deus sit, ac etiam si Deo sit inferior. Habitudine vero quadam Dæmon dicitur animus, qui similitudine quapiam ad Genus Dæmonum, mirabiliores quàm secundum hominem, actiones edit, totamque vitam suam suspendit ex Dæmone. Hæc arbitror ratione *Socratem* in *Republica*, De nonas Animas appellasse, qui vitam bene transegerint & in meliorem translati sunt sortem; locaque angustiora

stiora (forte augustiora) jam colant; ipse denique secundum es-
sentiam Dæmon, neque propter habitudinem ad sequentia, nec ob ali-
quam ad aliud similitudinem appellatus est Dæmon, sed hanc per se ipsum
proprietas est sortitus, atque in existentia quadam, viribusque
propriis, modisque differentibus actionum est distinctus. Omnino
verò anima quidem rationalis, in Timæo, Dæmon animalis est appella-
ta. Clarius verò nihil dici poterat, quod ad distinctionem No-
minis & rei, quæ Dæmon dicitur, apprimè conduceret;
quanquam in eo dissentiat Proclus à reliquis, quod subinde
detestetur, animam nostram simpliciter Dæmonem appellari;
Dæmonem enim mediam quandam esse naturam, dicit, inter homines
& Deos; & quamvis tandem concedi queat, ut Dæmonis appellatio a-
nimæ nostræ per quandam comparisonem tribuatur, non tamen id ad-
mittendum esse, ut anima quadam pars, vel id, quod præcipuè in ea o-
peratur, vel ut Ratio in sanis, Affectus in perturbatis, Dæmonis no-
mine veniat: In quo & ab Apuleji & à Prophyrii sententia, mul-
tum recessisse deprehenditur. Id verò neminem malè habeat,
quod inter Dæmones bonos & maleficos non distinxerit Pro-
clus, ego illud inde accidisse puto, quoniam ei satis erat, hos,
qui essentiâ Dæmones sunt, abs reliquis segregasse. Illis verò
& virtute & malitiâ insignes, comprehendi, palam est. Et-
enim ita omnino Gentiles hoc quicquid est nominis tribue-
bant mediæ inter Deo & homines naturæ, illi *Deorum Ministre*,
sicut Apulejus ex Platone ait, ut *appellationem quidem toti naturæ*
communem, supposita autem multum inter se diversa crederent, eorum
qui vel bene vel male operarentur.

§. 8. Imprimis verò pessimæ cohorti illorum, qui tantum
in scelere occuparentur, appellationem Dæmonum aptabant.
Plutarchum de Cessat. Orac. testem habeo, Dæmones malos non so-
lum *Empedoclem* scriptum reliquisse, sed etiam *Platonem, Xeno-*
cratem, Chrysippum, addit ille etiam *Democritum*, de quo dein-
ceps videbimus. Imò quod non hi tantum, sed & his antiquio-
res *Zoroaster, Mercurius, Trismegistus, Ægyptii, Chaldæi* Dæmones
dixerint, malos, inquinatos, sceleratorum Carnifices, feras, canes, au-
ctores adulteriorum, cædium, sacrilegiorum, impietatis omnis, qui pæ-
nas dent

mas dent eorum, qua peccaverint, qui inferiora loca, ne in illa detru-
dantur, metuant, &c. id prolixè demonstrat Steuchus Eugubinus
in laudatissimo opere de perenni Philosoph. Lib. 7. C. 26. 27.
28. 29. 33. 34. 35. Insignis præ reliquis sententia est Orphei, &
quæ de cognitione Gentilium in hoc argumento sanè plus
quàm gentili mirificè testatur, ubi in hymno ad Titanes canit
in hunc modum:

Δαιμόνιοι δὲ σὺ ὄφθης μάγισθ' ἀπειλήν
Δαίμονες, ἀνθρώπων δηλήμονες ἀγχιόθυμοι,
Ψυχῶν ἡμετέρων, διεραῖς κακὰ προσύοντες
ἔφ' αἰεὶ κατὰ λαΐμα βαρυσμαράγυ βιότοιο
Σώματ' ὁ πλέυσιν ὑπὸ ζυγόδεσμα παδῦσαι,
ὑψιτενεὶ δὲ καθόλοντο πατρὶς πολυφύγγεθ' αὐλῆς
Ἄλλὰ σὺ ψυχῶν ἀνωγέυ.

Exhorrentq; tuum rapidum durumq; flagellum
Dæmones humani hostes atq; feri atq; maligni,
Qui nostris animis vacuis infanda ministrant,
Ut semper diram vitam cum crimine ducant,
Corpore peccantes semper vinculisq; retentis,
Excidat ut nobis summi fulgor Patris aule,
Sed tu Dux animorum. &c.

§. 9. Non jam dijudicabo, utrum Steuchus, ex quo hæc
refero, assensum in eo mereatur, quod Dæmonis Nomen in The-
ologia Gentilium proprie tantùm malorum fuisse asserit, uti
habet Inscriptio C. 33. frequentissimum fuisse largior, ut pes-
simos hos scelerum auctores Dæmona appellarentur; idq; addo,
quod post Christum natum nomen Dæmonis in primis suspe-
ctum evaserit, atque odiosum, tanquam rei maleficæ atque im-
probæ, non vulgo magis quàm Philosophis, (quod rectè mo-
net Ludovicus Vives L. c. pag. 549. Conf. etiam ipse Augusti-
nus de Civit. Dei Lib. 9. Cap. 19.) quomodo hodiernum non nisi
malis Spiritibus, & qui à Deo averfi, hominibusque inimici
facti sunt, Dæmonum vindicari nuncupatio consuevit. Quic-
quid tamen hujus rei sit, id jam omnes ex dictis intelligimus,
quod de existentia eorum, qui nobis spiritus maligni appel-
lantur,

B

lantur,



tantur, prisca Gentium sapientia nullum omnino habuerit du-
bium. Quamquam enim & hoc loco falsa se subinde Dæmono-
logia proderet, dum Principem inter malos Dæmones Dei loco
haberent, duplex ponentes Principium, alterum bonorum, alte-
rum malorum auctorem, illum meliorem Deum uocantes, ἀμείωτος θεός,
ὁ δὲ ἕτερος δαιμόνα, alterum verò Demonem, id quod ex vetustis-
sima Chaldaeorum, Persarum, & Magorum Theologia de-
ducit, atque Zoroastri imprimis Mago, quem multo tempore
ferunt bellum Trojanum antecessisse, tribuit Plutarchus in L.
de Iside & Osiride; idemque principium boni à Zoroastre Oroma-
sten, principium autem mali Arimanium dictum fuisse refert
& superstitionem prolixè explicat. Quomodo præter hæc ab
Ægyptiis præcipuus honos Osiridi & Typhoni, illi bonæ, huic
malæ in rebus mundanis causæ & principio, vindicatus fuerit,
& hæc Numina diversam veterum interpretationem subierint,
denique quomodo hæc opinio de bono malovè principio ad
Græcos tandem derivata, Pythagoram, Empedoclem, quia
Platonem ipsum infecerit, id prolixè ibidem exponit Plutar-
chus, & egregio Commentario illustrat Vossius de Idol. Gentilium
L. 1. C. 5. Conf. etiam de aliis August. de Civ. Dei Lib. 10. C. 21. Ex
quâ doctrinâ Manetis deinde hæresis profluxit, qui cum natio-
ne Persa esset, & Persicis etiam disciplinis imbutus, veterem
Persarum stoliditatem è cineribus quasi revocare (cum nunc
quidem ne audiretur cum dogmatibus suis apud Persas) alla-
borabat, & Scythianum quendam, hominem profanum secu-
tus, (quamvis mirer quod Theodoretus Manichæum cum
Scythiano eundem fuisse asserat, Heret. fabul. Lib. 1. Heres. ult.
consentiente Suida in Lex. sub voce Manes) duo statuebat Prin-
cipia, quæ Principio carerent, nec unquam desinerent, in-
vicemque contraria forent, quorum unum lucem ac bonum
appellabat, alterum tenebras ac malum, ut idem sint ac Deus
& Diabolus; quos quidem ambos nonnunquam Deos nomi-
nabat, DEum videlicet bonum ac DEum malum, &c. prout
prolixè recenset Epiphani. Heres. 66. p. m. 625.

§. 10. Enim

§. 10. Eumverò quanquam, dico, hac ratione in enar-
randa Dæmonum doctrina falsum vero admiscebant Veteres,
satis tamen erat pro captu Gentilium, quod in asserendam
Dæmonū malorū existentiam ferè consensisse omnes deprehē-
dantur. Imò verò hoc dogma sanctum omninò & verendum
habebant, ut *Plutarch. de Cessat. Orac. magnis laudibus eos effe-
rendos putaverit, qui Genus Dæmonum inter Deos & homines con-
stituerunt, sive Orpheus is fuerit, sive ex Egyptiis Phrygibusve
aliquis, uti ab utrorumq; ceremoniis conjici potest. Quin
idem Plutarchus magnis difficultatibus homines liberasse dicit, qui
Dæmones inter DEum & homines medios statuissent, in quos re-
ferrentur ea quæ neque vires humanas efficere posse constat, & quæ
cum in majorem quam humanam potestatem redigere necesse sit,
sed alia ratio prohibeat ne referantur, in optimum Deum similesquæ
ejus spiritus alios bonos, in eam potestatem redigantur quæ tametsi
superet humanam facultatem, res editæ tamen testentur, eam neque
Deum esse neque mentem puram divinamque auctoritatem. Signa,
inquit, majoris quam humane potestatis cum plura cum nostris illi
collegerunt, imprimis ipsa fuit divinatio, præterea fascinationes, vexa-
tiones corporum, egritudines injectæ, pluraque alia nemini non nota.
Sed signa potestatis improbæ, quod cum raro beneficio homines affe-
cerunt, tum verò modus ipse ratioquæ prophetandi naturam inquina-
tam declaravit. Ita sapienter Plutarchus, cujus Philosophiam
hoc loco magnificendam vel ideò arbitror, quoniam non
sententiam modo suorum de existentibus in natura rerum
Dæmonibus, sed fundamenta etiam illius atque rationes, unde
illa profluxit, nobis manifestat.*

§. 11. Sanè id per se notum non est, Diabolos existere;
unde quanquam Vossio facile accedam, quod à primis Noachidis
doctrina hæc quasi per manus tradita sit, esse spiritus, quorum Ministe-
rio utatur Deus in orbe administrando, idque intelligere posteri propius
potuerint, quisque à gentis suæ conditoribus, vix tamen negandum
puto, quod ex signis potestatis improbæ, quod Plutarchus di-
cebat, ex fascinationibus, effectis in genere ac operationi-
bus, quæ nec ad DEum referre, nec ad bonos Angelos homi-

nesque poterant, hanc sibi notitiam Gentiles acquisiverint, prout nec Vosius diffiteri potest, sed spectris, oraculis magicis artibus & prodigiis comprobata fuisse hanc doctrinam egregiè ostendit, *Lib. I. Cap. 6.*

§. 12. Quo magis mirum est, repertos tamen in infidelium Gentiumque numero Philosophos fuisse, qui falsam hinc in medium proferentes Dæmonologiam ad inficiendam Dæmonum ac Diabolorum existentiam studiosè iverunt. Quid de Aristotele circa hoc argumentum dicere & putare debeam, ferè nescio. Scio non *Pomponatium* tantum in *L. de Incantamentis*, sed & *Steuclum Eugub. L. c. Cap. 26. p. 535.* Tum *J. C. Scaligerum Exercit. 355.* in eo esse, ut assertos à Philosopho Dæmones commentrent. At, quæ Scaliger adducit Testimonia, talia vix sunt, ut dubitanti satisfaciant, nam vel planè non determinat subjectum Aristoteles, quando de ἐτέροις suis, itemque αἰς ἐν τῷ ὄρει ἀναπνοῆς. obscurè loquitur, vel cum Dæmonia appellat, eaque in numerum corporum cum animalibus refert, ambiguum relinquit Lectorem, utrum bona an mala, an quod nonnullis videtur, ipsa astra intellecta voluerit. Certe alibi de Dæmonio loquens Philosophus non de Dæmonibus, sed DEO vult intelligi rebusque divinis. Sic exordiens *L. de Mundo* (dummodo ille Aristotelem non mentitur) dicit, *semper sibi Philosophiam visam fuisse θεῶντι καὶ δαιμόνιον χηρμα*, Synonymorum loco hæc duo combinans. Idem *de Insomniis*, quando quærit: an per illa futura cernantur; ulterius disputat; *Ανεα cernantur, quorum homo causa, ἢ αὖ τὸ δαιμόνιον ἔχει τῆς αἰτίας*, ubi Dæmonium est ipse DEUS. Nam sapientibus dicit futuram hanc insomniorum divinationem, *εἰ θεὸς ἢ ὁ πύμπαν*, si DEUS ea immittit, & concedit. Quæ verò *Steuclum* refert ex *Stagirita*, quanquam majorem habere videantur venisimilitudinem, attamen quod ex Interpretum quidem verbis, qui rem intelligebant accuratius, non item ex sententiis Philosophi, de malis Dæmonibus sermo fluat Aristoteli, evinci posse arbitror. Quare si maximè *Vosius l. c.* pollicem premere nondum sustinerem, qui asserere non dubitat, Aristotelem alios,

alios, quàm orbium cœlestium motores Spiritus non agnovisse. Conf. enim *Suarezius Disp. 35. Met. Sect. 1. n. 24.* ubi id prolixè refutat; vix tamen in affirmantem sententiam pronus ferar, cum in explicandis aliis, quæ in rerum natura existunt, prolixum deprehendam Philosophum; hic, etiam cum occasio ferret, omninò mutum.

§. 13. Quicquid autem ejus fuerit, concedam tandem sapientissimo Viro & hanc de Dæmonibus notitiam; id fortè certius est (quanquam & hic aliud sentiat Steuchus Eugubinus L. c.) quod *Democritus*, Aristotele prior, uti omnes, sic malos quoquè Spiritus eliminatos ex orbe voluerit. Nam præterquam quod *Euseb. Præp. Evang. L. 14. c. 5.* de illo & *Empedocle*, aliisque antiquis Philosophis testatur: *τοιαύτη δὲ αὐτῶν καὶ ἡ περὶ ἀρχῶν δόξα, ἢ θεῶν, ἢ ποιητῆν, ἢ δημιουργῶν, ἢ δέτι τῶν ὅλων αἰτίων ἀποφύνασθαι, ἢ δὲ μὲν θεῶν, ἢ ἑσσημάτων δυνάμεις, ἢ νοερὰ φύσεις, ἢ λογικὰς ὑσίας ἢ δ' ὅλων, τί τῶν ἐκτὸς αἰσθήσεων ἐν ἀρχαῖς ὑποθεμένων;* in quibus verbis id inprimis attendendum puto, quod hi Philosophi neque incorporeas virtutes neque intelligentes naturas in principiis ponant; quale quid omnino fecissent, si reliquorum sapientum dogmata amplexi, ullas existere intelligentes naturas credidissent; certe *Theodoretus L. 6. de curat. Gr. Aff.* notat, quod *Parmenides* (cum quo in hac doctrina faciebat *Democritus*) necessitatem (quâ nempe putabat omnia fieri) etiam *Dæmonem, Justitiam & Providentiam* appellaverit, non alio clariore argumento, quàm quod hi Philosophi *Dæmonem* longè alium, eumque nihil minus atque mediam quandam inter Deos & homines naturam & substantiam sibi formaverint. Taceo, quod *Democritus* eas, quas alii *Dæmonibus* adscribebant, operationes, imaginibus suis (Cicerone teste ab ipso in Deorum numerum relatis L. 1. de natura Deorum) rerumque speciebus ac simulacris tribuerit, quorum verò natura ipso describente cum *Dæmonibus* nihil commune habet. Conf. *Clem. Alexand. in admonit. ad Gentes p. 43.*

§. 14. Ab his Philosophis si abeam, qui verò post *Xenophanem* in *Eieatica* Secta prope Principes erant, vix deinde alios

ex vetustioribus sapientum familiis, invenio, qui in eodem
hæreere pluto, & ad inficiendam Dæmonum existentiam sese
applicare voluerint. Nam ut de Epicuro, ejusque schola di-
cam, vix opus est; quanquam enim certissimum arbitrer in
hac maximè doctrina eam nihil proposuisse sani, idque vel
propterea, quod *Clementi Alexand. Strom. 6.* credam, qui ait;
καὶ Ἐπίκουρος παρὰ Δημοκρίτη τὰ προηγουμένα ἰσχυροῦνται δόγματα;
non tamen disquirendum de illis amplius est, utrum Dæmo-
nes crediderint, cum omnem Dei sensum pessimi mortales
eliminatam cuperent; ipseque Epicurus (cæteroquin Disci-
pulis suis melior) Providentiam divinam in rebus humanis tol-
lere, quod supra annotavimus, allaboraverit. *Vid. Grotius in*
Act. 17. 18.

§. 15. Jam inter eos qui Ethnica sacra amplectebantur,
Philosophos, Celsum, vaferrimum hominem penitus tacere
non possum, quamvis ad eorum, de quibus dixi, ætatem
minimè accedat. Sententiam illius, quæ ad deridendos
Christianos composita erat, quod illi Christum à Dæmone tenta-
tum asserant, quamvis in eo non subsistat, sed in negationem
omnimodam Dæmonis feratur, exponit *Origenes Lib. 6. contra*
Celsum p. 303. Edit. Spencer. Verba, ut brevior sim, latinè verba
referam: *Deinde Celsus & aliam adversus nos orditur calumniam*
falluntur, inquit, impie per summam ignorantiam decepti, non intel-
lectis divinis enigmatibus, dum adversarium Deo quendam Diabolum
faciunt, eundem hebraicè nominantes Satanam. Est enim omninò
mortalis infirmitatis & prorsus alienum à pietate, dicere, quod Deus
Maximus volens benefacere hominibus, propter adversarium obniten-
tem id nequeat. Ergone Dei Filius vincitur à Diabolo? & vexatus
ab eo docet nos vexationes ejus contemnere, predicans, quod & Satana
similiter adventurus sit, editurusque magna miracula, usurpando
sibi Dei gloriam, cui ut Seductori non sit advertendus animus, sed soli
sibi credendum. Id vero manifestè impostoris est operosè præcaventis
sibi à contraria doctrina autoribus.

§. 16. Utrum

§. 16. Utrum nunc ex Interpretibus Aristotelicis in eundem censum cum iis, qui Dæmones negant, referre debeam *Alexandrum Aphrodisæum*, in plurimis acutius videntem, atque ipse fecit Aristoteles, nec minus *Simplicium*, accuratum Philosphi sui interpretem, ferè nescio. De *Averroë* & quomodo ille ab Alcorano etiam in hac parte abeat, res certior est, quamvis ei ex ipsis Arabibus sint qui contradicant, inter quos quam rectè à *Vossio* Avicenna locetur, alii viderint. Conf. *Vossius* L. c. p. 41.

§. 17. Gentiles tandem mitto, investigaturus, utrum non in populo Dei fuerint, qui in eodem cum Gentibus hæere luto voluerunt; Imò verò hic statim Sadducæi se ingerunt, de quorum dogmatibus *Epiphanius* quidem monet in *Heres. 14. quod facile refelli possint*, nec brevi spatio posse eos resistere, putarem tamen Disputationes eorum cum Rabbiniis aliud non nunquam ostendisse. Palmarius eorum error erat, quod Resurrectionem mortuorum inficiarentur, uti perspicuum est ex *Matth. 22. 23. Act. 23. 8.* Quorsum toties oppugnati ab Apostolis iisque inprimis aduersi fuisse memorantur. Conf. *Act. 4. 2. seq. Cap. 5. 17.* Addatur de his aliisque Sadducæorum dogmatibus *Joseph. Lib. 13. Antiq. C. 9. & L. 18. C. 2. tum L. 2. de Bello Judaico C. 7.* Ut verò tanto pronior Sadducæis ad oppugnandam Resurrectionem mortuorum via foret, doctrinam de Spiritibus maximè sibi vellicandam sumpserunt: Præterquam enim, quod docerent, *Animam* nihil aliud esse, quam *temperamentum hominis, non substantiam corpori contradistinctam*, ipsi etiam de omnibus ferè spiritibus dubitasse videntur. Pertinet huc insignis locus, qui inprimis nunc ad nos spectat *Act. 13. 8.* Nam Sadducæi quidem dicunt non esse Resurrectionem, unde ἀγγέλων, μήτε πνεύμα, neque spiritum. Mirum dictu est, quantæ olim de hujus dicti sensu lites: Est inter Judæos *Menasse Ben Israël* in *L. de Resurrect. Mort.* qui ut suspectam auctoritatem Scripturæ N. T. reddat, inficiatur, quod Sadducæi unquam de Angelorum existentia dubitarint. Etenim vel ex lectione solius *Pentateuchi*, si hunc solum admisissent Sadducæi, contrarium eos deprehendere-

hendere potuisse. Certè Scaliger *de tribus Sect. Judaeorum* ex hoc argumento ita se expedire non potuit, ut fateretur, se rem *ignoscere, nec mentem Sadduceorum satis explicare posse.* Sed quod pace Magni Viri dixerim, res adeò difficilis non videtur. Potuerunt certè Sadducæi (quod nonnulli probant ex Rabbiniis, omninò factum esse) Angelorum retinuisse nomen, ut rem ipsam tamen inficiarentur, dicendo: angelos, quorum toties in Libris Mosis mentio fit, non esse spiritûs, non esse substantias, & supposita abs hominibus imprimis, diversa, sed cogitata cordium, aut imagines quasdam in hominum animis productas, aut virtutes DEI inseparabiles, quas DEUS, quando lubet, ex sese exsilire facit, opere peracto retrahit. Quod si tandem dentur quidam spiritus, qui Angelorum tueri nomen possint, eos noviter à Deo produci, separando fortè quiddam ab Anima mundana (celebri alias inter Judæos figmento) quod postea destruat, sciatque redire in naturam universalem. Et quid? num absolum est asserere, quod clarissimis etiam scripturæ dictis denegare fidem homines ad erronea dogmata proni voluerint. Nihil certè in quibusvis hæreticis deprehendere licet frequentius, & quotidiano prope usu venit. Verùm ergo est, retinuerunt Sadducæi, sed perverterunt scripturam Mosaicam, & negarunt omninò dari Angelos. At, quid hoc est, quod Lucas addit, dicere eos, *nec esse Angelos, μήτε πνεύμα, neque spiritum.* Epiphanius *Heresi XIV. p. m. 31.* & Philastrius hoc nomine Spiritum S. intelligere, videntur: Ita enim Epiphanius. *πνεύμα δὲ ἁγίων ἐν ἱερασί, ἢ γὰρ οἱ τῆς ἡζουῆροι.* Spiritum S. ignorant, quem nec accipere digni sunt. Non aliter sentit *Aethiopicus Interpres*, qui vocabulum *πνεύμα* vertit *Spiritus S.* Et cum hoc dixisset, (sunt translationis verba) *litigarunt Pharisei & Sadducæi, dicentes: non vivent mortui, & non sunt quicquam Angeli, neque Spiritus S.* Sed hanc sententiam cum suam faceret *Serarius de tribus hæresibus Judaeorum*, à Scaligero malè exceptus fuit, *Afnitatem hanc esse, & impietatem, dicente, quæ nunquam Sadducæis in mentem venerit, idque propterea, quod alias dicendum fuisset, ne-*
gasse

gasse Sadduceos τὸ πνεῦμα, cum Articulo, si nempe respectus à Luca haberetur ad Spiritus Sancti Personam. Jam quidem opinioni Epiphani & illius sententiæ, quæ dicit, quod hic de Spiritu S. sermo sit, non facile assurgimus, (quanquam non ea propter, quoniam, ut Job. Phil. Pfeifferus putat, in Dissert. de verbis Luca Act. 23. 78. Regiom. hab. Anno 1682. mense Julio, vix in Scripturis, præsertim N. T. Spiritus S. simpliciter reperitur appellari Spiritus, scil. quantum ad personam, & ubi non contextus id jubeat, sed vel Spiritus Dei, vel Spiritus Domini, vel Spiritus veritatis, aut hujusmodi; vel Spiritus cum Epitheto, sanctus &c.) minime tamen probari potest immodesta Scaligeri disputandi ratio, traducentis hanc opinionem, ut meram asinitatem, imprimis, quod ejus ratio (haud secus atque rationes Pfeifferi) frivola omninò & nulla videtur. Nam & in aliis scripturæ locis vocabulum πνεῦμα sine articulo, & absolute sine Epitheto aliaque descriptione, in eo tamen sensu, ut Spiritum S. denotet, invenitur. Non est quod dicta plura allegem, solus sufficit locus ex Job. 3. 5. nisi quis renatus fuerit ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος; ubi nihil dubii relinquitur, quin tertia Deitatis persona indigitetur. Quod si verò jam de Spiritu S. Act. 13. sermo non est, de quo igitur? Lucas certè distingvit Angelum (per Enallagen Numeri, sub unus nomine pluralitatem indigitans, uti Apoc. 21. 21. & alibi) à Spiritu, dicens, quod neque Angelum, μήτε πνεῦμα, credant Sadducei; quorsum Theophilacti in h. l. sententia cadit, qui Spiritum & Angelum pro Synonymis accipit. An ergo dicemus voce Spiritus indigitari Spectra? uti fit Luc. 24. 37, aut Animam, uti 1. Cor. 5. 6. Psalm. 77. 39. Ecclesiast. 12. 7. Neutrum omninò: nam Spectra non poterant Angelis contradistingvi; & Animæ, ut tales, non negabantur penitus à Sadducæis: Dicamus igitur, quod res est: nomine πνεύματος putamus in generali vocis usu (quando ipse eum ad specialem significatum non restringit Evangelista) denotari omne id, quod spirituale dici poterat, & incorporeum, ut ejus negata à Sadducæis existentia fuerit; Sed anne ita ipsius etiam Dei? Chrysostomus de eo dubitanter Homil. 4ta in Act. 23. 8. Nam Sadducei, ait, neque angelum esse

C

esse

esse neque spiritum dicunt. Nihil incorporeum, sciunt Sadducæi, fortasse neque Deum, quia tam crassi sunt; Idem habet Theophilactus in h. loc. Non putarem tamen ita penitus delirasse Sadducæos: fortè credebant quidem, DEUM existere, sed imaginabantur sibi Numen aliquod corporeum, ut universaliter verum sit, eos negasse omnem spiritum; id quod de spiritualitate animæ eò magis manifestum, quò certius, quod nullam animæ immortalitatem hæc Secta crediderit. Sic enim Joseph. Lib. 2. Bell. Jud. Cap. 12. circa fin. de Sadducæis: *Ψυχῆς τὴν διαμονὴν καὶ πᾶσι ἀδὲ τιμορίας καὶ τιμὰς ἀνάγκησι.* Anima autem perpetuitatem, & post hanc vitam supplicia pariter atque honoris præcæta tollunt. Et L. 28. antiquit. Jud. C. 2. *Σαδδουκαίων δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφέντες τοῖς σώμασι.* At Sadducæorum opinio cum corporibus extingvit simul & animas. Addatur Hieron. in Matth. 22. 23. 31. Isid. Hispal. L. 7. Orig. C. 4. & alii. Non est quod in hanc rem plura addam, ex dictis constat, quod cum omne incorporeum, tum verò Angelos negaverint Sadducæi, procul dubio illi nullos existere Dæmones (sunt enim & hi angeli, uti aliunde notissimum est, & expressè ita dicuntur Matth. 25. 41. 2. Pet. 2. 4.) fuerunt arbitrati.

§. 18. At quod de Sadducæis dico, negatum ab iis omne corporeum & spirituale saltem in natura finita fuisse, id ad hanc Sectam solum non spectat, sed ad alia quoque sententiarum divortia de natura & essentia Dæmonum nos deducit. Quo loco vellem, ut illi etiam, qui existere tamen Dæmones statuerunt, non corporeos eosdem & materia indutos sibi confinxissent, sed ita tamen Gentilium ferebat persuasio. Certè Plato, qui & hic vetustiores Ægyptios, Chaldæos, aliosque sequitur, Dæmones in *Epinomide* atque passim alibi, definit Genus aëreum, quod quidem prorsus non cernatur, adesse tamen nobis, etiam cum non videtur, censerit debet. Dum verò Genus aëreum dicit, non solum Regionem vel domicilii locum, quodque in aëre reperiantur & degant Dæmones, intelligit, sed & materiam, ex qua illi consistunt, aërem esse & corpora valde subtilia putat; sicque æquum fuisse censet, ut cum suprema æthereaque mundi Re-
gio

gio Diis cœlestibus, inferior hæc & terrea varii generis animalibus repleta sit, aër etiam animalia sua foveat, non minus atque aqua, cui verò sui etiam adsint Dæmones aquei, Semidei, Tritones, Leucothea, Matuta, aliisque hujus generis. conf. Plato in *Timeo*, qui, quod fabulosis Dæmonum clasibus, (quales varios fingebant Poëtæ) annumerandi veniant, non ad Genus aëreum in *Epinomide* recensitum pertineant, extra dubium positum est, indeque à reliqua Philosophorum Gentilium familiâ tantopere non attenduntur. Et verò nescio, annon Plato hic iterum Hesiodi maximè vestigia legerit, qui de hominibus in Dæmones commutatos ait:

Αἴρα δ' ἰσχυροὶ πάντοι θεοτάσιν ἐπ' αἴαν.

Aërag, induti tota tellure vagantur.

Eò sanè tendunt omnia, quæ de Dæmonum essentiâ habet Plato, ut aërea induti, h. e. animalia aërea, ex aëreo corpore constantia, quemadmodum terrestria ex terrestri, existimantur. Etenim Plato tum alibi, tum clarissimè omnium in *Timeo*, ea imprimis ratione, *Dæmonas* innuit esse corporeos, quod opifex mundi injungens novitiis Diis, (qui procul dubio sunt Dæmones, Marco interprete Genii apud Romanos appellati) ut humanum corpus & terrestria formarent animalia, partibus ex omni mundo, quibus stiparent corpora, acceptis, adjecit ἡ τοῖς ἀλύτοις οἷς αὐτοῖς συνέχοντο δεσμῶς, ne iisdem indissolubilibus vinculis & compage, qua ipsi ligati essent, eos adstringerent. Quo ipso mundanum opificem ex eadem elementorum materia sumpsisse compactum humanum corpus & Dæmonum significat, quanquam horum corpora magis sint indissolubilia atque illorum. Hinc *Apulejus* Platonicus de *Deo Socratis*; *Dæmones* ait: esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore aeterna, innuens hac qualicumque descriptione sua; non ex nudo corpore constare Dæmones, sed mente (h. e. parte animi superiore, qua rationales sunt) & animo (h. e. parte animi, passionibus turbulentis, motuiq; cordis & fluctuationi cogitationum obnoxia, uti ex ipso *Apulejo* explicat *August. de Civ. Dei* L. 9. C. 6.) intra corpus existente, quod solum sit corporeum, aëreum, attamen æternum.

§. 19. Ita verò & reliqui ex Platonis Schola; Plotinus, qui Dæmonem ait esse μετὰ πῶς σώματα ἢ ἀέρος, ἢ πυρός, cum aliquo corpore sive aereo, sive igneo; Quam compositionem Tatianus allegatus à Steucho l. c. p. 537. seq. spiritualem appellat: nec non Porphyrius, qui Lib. 2. de Sacrif. & Diis atq; Demonibus, ait, Demones non solido corpore vestitos, nec unam omnes habere formam, & quâ ratione corporeum quid sunt, passioni esse obnoxios & dissolubiles, unde consentaneum putat, aliquid ab iis semper effluere atq; nutriri. Quod ipsum paulò post dilucidius explicat, & Demones esse dicit, qui libamine, nidoreq; carniū oblectantur; his enim, inquit, spirituale corpus eorum pingvescere solet. Vivit namq; hoc vaporibus, fumigationibusq;, atq; variè admodum (ut par est) per varia, nidoreque sanguinis & carniū vires assumit. Hucusque Porphyrius; cuius sententia, quale corpus tributum Dæmonibus fuerit, nempe, quod ali, nutriri, cibis conservari queat, apertissimè declarat.

§. 20. Erat autem hæc non Porphyrii solum sententia, (quam ipse quoque exponit Epistola ad Anebuntem (rectius Anebonem) sacrificulum & Magum Ægyptium in Epistola, quâ petit se edoceri de diversitate Dæmonum; Vid. August. de Civ. Dei L. 10. C. 11. sed communiter Platonici aliique Philosophi docebant, Dæmones nidoribus sacrificiorum oblectari, ut iis & sanguine fuso nutriantur, unde propè terram plerumque volitent, & ad hæc inferiora se dimittant. Vid. Steuchus L. 8. C. 30. integro. Unum adhuc addo, cum plures possemus (inprimis Proclus, qui quinque genera Dæmonum recensens, quintum constituit corporeum quodammodo; De animâ & Dem. pag. m. in Excerptis Marsilii Ficini 200.) ex Platonis Chalcidius. Ille Comment. in Timæum Platonis, cum multa Dæmonum genera cum quibusdam Platonis discipulis, constituisset; Generis ætherei compagem (omnibus enim quædam corpuscula concedit) ex ætheris serenitate constituens, hæc Definitione concludit: Demon est animal rationale, immortale, patibile, æthereum, diligentiam hominibus imertens: animal verò æthereum dum dicit, corpus æthereum insinuat, cuius compagem ait, non dissolvendam esse, propter æthe-

ris à risque tenuissimum defœcatisimumque liquorem; tum verò non conspicuum neque tactui renitens, corpus facit, quoniam non adsit tantum ignis, neque tantum terra. Hæc Platonici.

§. 21. De Aristotele quod idem in eodem argumento senserit, arbitrarer, si de Dæmoniis propriè dictis intelligi ipsum voluisse scirem, loco supra citato ex IV. *Metaph.* ubi: *substantia, inquit, dicuntur simplicia corpora, ut terra, ignis, aqua, & id genus, omniaque corpora, & ea, quæ ex his constant, ζώατε ἢ δαίμονια ἢ τὰ μέρη τούτων, animalia, Dæmonia, & partes horum;* Sed non opus est, ut in describenda Gentilium Veterum de Corporeis Dæmonibus sententiâ prolixior sim; quod facerem, si de Concubitu horum cum fœminis humanis & de Excrementis eorum exponere ad mentem cœcæ Philosophiæ placeret; differit hæc de re *Marcus*, quem supra allegavi, apud *Psellum de Dæmonibus* & planè absurda narrat, quamvis & hic conferri possit *Steuchus l. c. c. 32.*

§. 22. A Gentilibus nunc ad *Judeos* & *Muhamedanos* progredior: Miræ sunt *Muhamedis* de Dæmone ejusq; lapsu fabulæ, quæ continentur in *Alcorano Sur. 2. 7. 15. 17. 18. 20. 30.* ubi, ut in compendio repetam, narrat impostor, rem omnem hoc modo contigisse: *Dixerat DEUS ad Angelos: submittite vos, & herbam porrigite Adamo; illi sese submisere præter unum, qui dicebatur Eblu, qui jam tum superbus & angelus nequam factus fuerat. Quæsit DEUS ex eo: Quare non adorasti Protoplastum? Respondit. Ego sum superior illo, tu me & angelos reliquos creasti ex igne, hominem verò ex luto terra. Tunc ei dictum est: Exi Paradiso; non est hic habitaculum superborum, in numero eris bannitorum & maledictorum usque diem supremi judicii: Cùm verò peteret dilationem pœne, usq; ad Resurrectionem mortuorum, minas etiam precibus adjiceret, se totum genus humanum à recto tramite abducturum & impediturum, ne credant legi divinæ, responsum à Deo accepit: Apage te à me, linque Paradysum, eris toti mundo exosus, infernum sequentibus te sum repleturus. Cùm ita de lapsu Diaboli nugaretur Muhamed, mirum non est, quod ejus Naturam falsò descripserit, imò verò cùm Deum ipsum corporeum somniaverit, utpote manus habentem, & ab angelis portatum, Azor, 38. & 79. quidni angelos dicat con-*

stare corpore. Nam putat: ex Igne illos creatos esse, (quanquam aliis materia aërea placeat) Azor. 8. & 43. Conf. Barthol. Geor-gevv. de Turc. rit. c. 1. At Diabolum ex flammâ ignis conditum sic-que corporeum esse asseritur *Suraia* 65.

§. 23. *Judæi* propè easdem tibus inflant; Etenim *Manasse Ben-Israel* *Problem* 22. de *Creatione*, è *Libro Zoar* refert, quod *Veteres angelorum malorum* (quos *angelos mortis vel damni* appellant) naturam ita expresserint, ut alios *spiritus aëris*, alios *ignis* facerent, dicendo, esse eos *compositos ex subtilibus corpusculis elementaribus*. Unde eos *cibus vesci, mori, generari, instar hominum* commenti sunt. Idem de illis affirmat *Grotius* ad *Ps.* 104. & *Ludov. de Dieu* ad *Ps.* 68. 18. dubitanter pronunciat: *Videntur Hebræi consentiente scriptura sensisse Angelos ita esse spiritus, ut non sint tantum prorsus immateriati, sed constent ignea materia*. Ubi tamen an *Dieu* sententiam *Judæorum* circa *Ps.* 68. rectè intellexerit, fere ambigo. Quomodo *Thalmudistæ & Cabbalistæ* *Dæmones corporales* fingant, qui etiam edant, bibant, multiplicentur & moriantur, qui lambant frigiditatem aëris, & odorem hauriant ignis; de eo conf. *Buxtorff. Lex. Rabb. Talmud. Rad.* 77 & *Münsterus* ad *Levit.* XVII. Rectius procul dubio inter illos *Philo* sensit, qui quanquam *angelos bonos animalium* nomine appellet, *purissimas tamen mentes & optimas* vocat, in *Libro*, quod *insomnia sint à Deo*: p. 586. & expressè *corporeis expertes* dicit p. 131. Conf. eundem in *L. de mundi opificio* p. 33. Vereor autem ne *Philo* sui oblitus fuerit, quando *Dæmones* dicit consuevisse cum *Mulieribus* *L. de Gigant.* p. 248. id quod *Josephus* etiam placet, *L. 1. Orig. C.* 4. Etenim quomodo misceri illi cum *foeminis* potuerint, cum corpore carerent, non ita facile liquet, nisi de assumpto corpore id voluerint intellectum, quanquam uti in aliis *Philo* *Platonis* sæpè legit vestigia, ita & hic ferè metuum, ne *Platonicam* secutus sententiam, æquè ut ille, ad *generandos homines* proprio concurrisse *Dæmones* corpore existimaverit. Omnium rectissime *R. Moses Maimonides* *Angelos* nec corpore nec materia constare censet; sed ab utroque esse separatas *substantias*, *Tract. 1. de fundam. Leg. Cap. 1. & 2.* idem asserit *Aben Ezra* in *Cap. Exod. 26.*

§. 24. Sed

§. 24. Sed non est, quod diutius scrutandæ infidelium falsæ Dæmonologiæ me impendam, modò non inter eos, qui Christiana sacra amplexi sunt, idem error qui Angelis Dæmonibusque corpus tribuit, nullas unquam radices egisset. Non morabor nunc *Messalianos*, absurdarum sententiarum promoscondos, qui Seculo IV. infesti Ecclesiæ Dei fuerunt. Hos uti cum Antropomorphitis, *Deum* somniasse corporeum, quem ipsi oculis corporeis viderent (prout & aduentum Spiritus S. sensu se percipere jactitabant) accepimus teste *Theodor. Lib. 4. de fab. hæred.* ita haud miramur, quod & Angelis, disertè verò Dæmonibus compagem quandam corpoream attribuere voluerint. Quando enim peccata & Sathanam orando sensibilibus ejici contendebant, hunc tam exiguum fieri dicebant, quàm fumus est, aut parvum animalculum, sicque extenuatum exire visibilibus ex ore hominis, uti porca & scrofa cum porcellis, cujus loco visibilibus quoque succedat, & ingrediatur Spiritus S. Vid. *Danaus in August. de Hæres. p. 286.* At illud infullsum genus hominum transeat; vellem Patres prisca Ecclesiæ Christi, & Doctores præstantissimos hîc taceri possent. At nota res est. Nimia certè Philosophiæ Platoniciæ admiratio, quæ Sec. post natum Servatorem II. & III. in primis vigeat, plurimos in hoc argumento, ut Platonis devia sequerentur, seduxit. Scio, quomodo excusari Patres soleant, quod cum Angelos dicerent corporeos, tales insinuaverint, qui spiritualem DEI naturam non omnimodè assequerentur, cum ipsi tamen etiam corporis experti essent. Sed quanquam id largiar, quod tale corpus, quale nostrum est, carne & ossibus constans, angelis attributum non voluerint Doctores illi; imò quanquam etiam putem, melius quosdam animo sensisse atque locuti sunt, cum corporis nomine id intelligerent, quod certo regione ac loco definitur, uti ex *Cyrillo Alexandr.* licet colligere *L. 9. in Job.* vix tamen ac ne vix quidem video, quomodo non plures ita senserint, quod ex materiâ quadam datum Angelis à Conditoris Corpus fuerit, subtile illud, & quod in alia se insinuare corpora possit. Ubi quamvis sint, qui nescio quam spiritualem materiam comminisci videntur, quæ fabricata sit à Deo, antequam
homo

homo existeret, ex qua & Angeli & Animæ nostræ productæ fuerint, tamen & hæc materia in Corpus quoddam tandem desinit, nec intelligi facillè aliter potest. Vid. tamen, quid de hoc argumento disputet *Svarezius Disput. Metaph. Disp. XIII. Sect. 13. & 14.* Quid quod Justinus Martyr aliique adeò corporibus præditos esse putant Angelos, ut alii etiam illos in cælo, & nutriti ignoto cibo dicant, quorsum & cum Mulieribus stupri aliquando consuetudinem inierint, unde Dæmones enati. Vid. *Dial. cum Tryphone, & Apol. 1. in 1.* Plures in hunc sensum allegare ex Patribus supersedeo, cum magno illi numero adducantur à *Petavio in Dogm. Theol. T. III, L. 1. C. 2. seqq. & Svarezio in 1. Thom. L. 1. c. 6.* De *Augustino* alias magna lis est, utrum Angelos & Dæmones corporeæ molis expertes, an ea indutos putaverit. Apud *Lombardum* dicitur *L. II. Sentent. Dist. 8.* si quando durius hic locutus est *Augustinus*, id ex aliorum, non sua sententia dictum esse; quomodo illum quoque excusare nititur *Thomas P. I. qv. 51.* Probabile etiam videtur *Leonardo Coquio in Not. ad L. 8. de Civ. Dei C. 6. & L. 21. C. 10.* *Augustinum* existimasse, Angelos esse puros spiritus. Sed quanquam & ego largiar, subinde fluctuantem in hoc argumento inveniri doctissimum Patrem, nescio tamen, an non ex vero *Ludov. Vives in L. 15. de C. D. c. 13.* *Augustinum* dicat, sensisse Angelos & Demones corporibus esse præditos, legentibus ejus opera, istud videlicet & de natura Demonum, & de Gen. ad litteram, certius est, quam ut pluribus ostendi debeat; nec ex aliena sententia, tot locis locutus est, ut *Petrus Lombard.* dicit, quosdam putare sed ex sua ipsius, secutus nimirum non pudendos Auctores, primum *Platonicos omnes*, deinde *Origenem, Lactantium, Basilium, & consensum ferè suo tempore sipientium.* At transeant ista; id tamen non negligendum mihi est, quod plures ex Doctorebus prisce Ecclesie, cum de natura Angelica loquerentur, distinguere soleant inter eam, unde Bonorum corpora, & illam, unde Malorum compages & membra constant. Certè *Isidorus Angelos spirituales, Demones aëreo corpore præditos esse confirmat, L. 1. de Diff. c. 12.* idemque sentit *Richardus Victorinus L. 4. de Trinitate.* Alii tamen utrosque corpore præditos putant, quamvis

vis boni corporibus gaudeant puris, & ex cœlesti materia deli-
batis, Dæmones verò ex aërea, crassa, densa, & concreta, ita Ju-
stinus Martyr, Tatianus, Origines, Hieronymus, aliq, qui eò dela-
psi, ut crederent, Dæmones per idola manufacta, cruore pe-
cudum & victimis pasci, uti expressè Hieron. Epist. 146. ad Da-
masum. Quorsum pertinent Græci recentiores in Florentina Syn.
p. 11. Gr. Edit. Rom. & complures alii, qui Diabolum ejusqve satel-
lites post lapsum mutasse substantiam, & propè carnem acce-
pisse putant. Sed ut & hoc argumentum non ulterius dedu-
cam, Petavio, diligenti horum inquisitori, debeo T. 3. L. 3. C. 1. seqq.

§. 25. Hos deinde Ecclesiæ Doctores subinde in errore
propagando secuti sunt alii. Ex Scholasticorum farragine
quamvis sciam plures ejus erroris insimulari, ac si Angelos,
maximè verò Dæmones, corpore quodam à natura indutos pu-
taverint, mihi tamen paucissimi videntur jure merito de hoc
commento accusandi. Certè præter Bonaventuram & Augusti-
num Niphum, & Cajetanum vix habeo, quos huc referre possim,
at de Bonaventura res constat. vid. ille T. II. Dist. 3. P. 1. art. 1. Qv. 1.
& 2. neque minus de Augustino Nipho Tract. 3. de Demonibus. C. 3.
seq. Cajetanus verò, uti Comm. in C. 4. Genes. Motores Astrorum, sic
in C. 2. ad Ephes. Dæmones sibi fingit corporeos, quibus à Suarezio
Disput. in Thom. P. II. L. 1. c. 6. n. 3. adjicitur idem sentiens, (quem
evolvere non licuit) Francisc. Georg. L. 1. Problem. C. 57. & 74. & l. 6.
C. 330. Steuchum Eugubinum huic societati plerumqve adjun-
gunt: Et rectè quidem: Præterquam enim quod C. 27. de perenni
Philos. sententiam de Corporibus Dæmonum aëreis ex asserto
Apostolico: Non est nobis colluctatio adversus carnem & c. demon-
strare voluerit, Cap. 41. Angelos (Chalcidio Dæmones athereos sed
falsò dictos) si fuerint atherei, corpora habere purissima, atherea, le-
visissima, volucra, plagis non obnoxia, non mortalia, non caduca; con-
tra verò Dæmones, non tam divinis & sacris, aëreis tamen indutos esse
vestibus, corporibus puta sub oculos non cadentibus, opinatur, hacq;
sententia Librum 8. qui erat de Angelis & Demonibus, obsignat.

§. 26. Nunc, quos adducere recentiores possem, quibus
eàdem propè statutum fuit sententiã, recensere supersedeo. Ex
Calvini Schola Zanchium P. 1. de Operibus sex dierum L. 2. C. 3. Bu-
canum Loc. VI. Q. 3. haud absre B. Calvinus in System. T. IV. p. 35.

D

allega-

allegavit, quasi idem cum veteribus sentiant, cum expressè
Bucanus, materiam quandam, sed planè spiritualement, non corpoream,
crassam, & aspectabilem Angelis tribuat; nisi eum de sola compositione
metaphysica, quâ ex actu & potentia constent Angeli, atque propterea
materiales, (quanquam valdè ævripus) dicantur, intelligendum
esse putes, sicut ipse eodem loco sententiam suam exponere
videtur. Grotium, quem pariter habet B. Calovius in annot. ad Ps.
IV. ulterius progressum puto, dum igneos constituit expressè
& aëreos Seraphim, & præterea Aristotelem cum sua immaterialitate ex-
sibilat. Sed de Gerhardo Joh. Vosio nihil adjicio. Rive-
tum in Apol. pro voto pac Eccl. II. n. XLV. itemque Vorstium in
Exegesi Apologetica p. 27. & Disput. 3. de Deo & Attributis Divinis p.
185. (ne de Bodino dicam in Theatro natura) non multum recessisse
abs Episcopi sententia existimari licet, qui difficile putat asserere,
qualis sit ipsa Angelorum spiritualitas, an essentia divina Essentia similis,
& omni omnino corporeitate carens, an verò cum corporeitati aliquâ con-
juncta, non crassa illa, ossea ac carneâ, non aërea, non ignea, sed tenuis-
sima, subtilissima, purissima, & lucidissima, qualis est Coeli istius, quod
iporum οὐρανός esse dicitur, ex qua corpus Adami formatum fuit,
quippe cujus Domicilium terra futura erat. Lib. 5. Justit. c. 2. sed cum
Bucano ferè facit recentissimus Author, Sebastianus Würdigius,
Medicus olim Dorptanus, tum per multos annos Rostochiensis, ante sex-
nium. & quod excedit, defunctus, qui, quanquam sub initium,
Angelos materiae expertes, dicat, tamen Genios describit tanquam Spi-
ritus à Deo, vel verbo vel nutu ex nihilo, aut ex certa quadam materia
maximè simplici, spirituali, lucida, ignea creatos, qui ob nimiam sim-
plicitatem & subtilitatem non conspiciantur, secus ac aër, Coelum, &
ignis rarefactus invisibiles sunt. Hanc tamen concentratam geniorum lu-
cem, & hinc visibilem, adeò violenta radiationis esse, ait, activitatis & pe-
netrantia, ut Daniel, Sanctus Prophetas, conspectum Angeli perferre non
potuerit, sed in animi deliquium ceciderit. In genere verò lucidam eam
geniorum naturam post eorum lapsum maxima ex parte amissam esse, &
in tenebrosam, obscuram, horribilem, abominabilem, propter divinae
illuminationis privatorem, mutatam; Quæ sententia non tantum
ab errore Concilii Florentini abest, quo olim statuebatur, per lapsum
angelos Carnem propemodum accepisse, & ex parte materiales factos esse
per peccatum. Vid. Würdigii Medicina Spirituum L. 1. C. 1. S. 2. seqq.
Sed

Sed uti omnis illa angelorum materia, sive spiritualis sive crassior dicatur, dudum à sanioribus Scholasticis, Doctoribusque profligata est, ita *Würdigium* imprimis *B. Siricius* peculiari operâ perstrinxit, nec est, quod de ejus sententia plura referam, cum inrerposita fide sua meliora doctum deseruisse eandem postliminio & damnasse cognoverimus.

§. 26. Atque hæc tandem illa falsæ Dæmonologias structura est, quam à Gentilium Philosophis acceptam Doctores Ecclesiæ Christiani immiscuere dogmatibus suis, & qui Philosophiam confundere cum divinis fidei fundamentis consueverant, Scholastici, aliisque hinc inde extulerunt; (de Magicis enim Doctoribus, utpote *Agrippa*, & quem antea recensui, *Trithemio*, non est quod prolixè referam Vid. *B. Calov. Syst. T. IV. l. c.*) id tamen felicitatis obtinente Ecclesiâ, ut complures ex orthodoxis Patribus, & in hoc argumento sanioribus Philosophis, errori se opponerent, ac Spiritualitatem, uti Angelorum omnium, sic Dæmonum quoque tuerentur. Vide hos magno numero allegatos apud *Petavium*, *Suarezium*, *Vossium*, *Locis supra cit.*

§. 27. Jam si ad populos Gentilismo nuper hodieque deditos progressum facerem, ostensurus, quæ illorum de Dæmonibus sententia sit, magnus quidem iterum dicendi campus nobis apperiretur, idque recenseri prolixè posset, quomodo penes illos non alia atque corporea Dæmonum essentia indigitetur, quos nempe ex aspectu & apparitionibus in assumptis corporibus factis dijudicare consueverant; sed ne in hoc opere ullam mihi sumere curam velim, tum ipsa facit horum hominum stupiditas, quis opinionum suarum certos non esse, nec rerum divinarum intelligentes constat, tum confusa plerumq; Astrorum cum Dæmonibus essentia sine omni mente proposita, prohibere potest. Cui tamen plura in hanc rem collecta evoluisse placet, præ aliis novum adeat scriptorem *Balthaz. Bekkerum* in *Orbe suo fascino*, quem appellat, *Belgicè scripto L. 1. C. 5. seqq.*

§. 28. Ego hoc quidem loco, de natura Dæmonum corporeâ differens, in recentiorum sententias non ulterius inquirō; id saltem prætermittere silentio non possum, quod cum variis partium

tium studiis disputatum hucusque in Scholis & explicatum in Ecclesiis fuisset, quod quisque Doctorum de Essentiâ Dæmonum vel corporea vel spirituali animo conceperat, tum verò subinde non defuerint alii, qui novum inferentes Sadducæismum, nullos omnino Diabolos, quos *supposita dicere & peculiare substantias possis, existere in rerum natura* faterentur. Non dicam quod Origines referat, existisse quosdam Medicos, qui nullum esse Spiritum immundum arbitrati, non illis, sed aliis materialibus seu corporalibus causis similes effectûs tribuebant. Vid. Origines Tract. in Matth. Quo modo quoque Thomas in IV. distinctione 34. q. 1. art. 3. ait, quosdam ex infidelibus existimasse, nullos esse Dæmones, sed tantum ex estimatione vulgi cogitari. Quod ipsum etiam exponere Turrecr. in c. si per sartiarias &c. Art. 2. 33. q. 1. & plures alios hæreticos variis modis hunc errorem asserentes referre Jodocum Coccium in Thesaur. Lib. 4. n. 5. author est Svarezium in Thom. P. II. C. 1. n. 1. Taceo de his. Certè Seculo XV. circa Annum 1484. furor ille Papales quosdam in Germania Concionatores agebat, ut nec Spiritus dari ullos dicerent, nec Dæmones, testante id ipsum Bulla Innocentii IIX & Judicio Theologorum Colonienfium, quæ in malleo maleficarum exhibentur: ita refert Voetius Disp. Sel. Part. III. pag. 563. seq. qui nec Pomponatium in L. de Incantamentis penitus hîc excusat. Deinde Sec. XVI. cum Anabaptistarum feroces turbæ prodirent in medium, tradebatur; Angelos non esse Creaturas peculiare & substantiales, sed, si quando Deus potentiam suam exerat ad nocendum vel puniendum, hoc vocari malum Angelum, ex adverso Angelum bonum appellari, si quando Deus nos conservet ac custodiat, prout in compendio hoc dogma refert B. Strauchius Def. Theol. Quat. XI. def. 1. cujus doctrinæ an recentiores Anabaptistus pudeat, equidem ignoro; quod tamen in Universalibus Confessionibus suis, junctim editis Amstelod. 1665. sententiam suam de Angelis Dæmonibusque nulli data operâ expresserint, (quamvis subinde adducant scripturæ dicta, in quibus Angelorum mentio fit, supra quos Christum evertum, & cultu afficiendum religioso, p. 9. fatentur, & à Diabolo seductum hominem asserunt p. 58. &c.) cum id propositum ipsis esset, ut omnis fidei suæ rationem dare vellent; hoc, utrum non suspicionem confirmare non satis bonæ causæ possit, aliis dijudican.

judicandum relinquo. Illud fortè non de nihilo est, quod nonnulli putant, Anabaptisticum illud dogma aut acceptum penes eos à *Theophrasto Paracelso*, aut ex ejus deliriis, per quæ *Angelorum natura ipsa vis & virtus Dei erat*, confirmatum esse; quicquid sit quod ipse *Theophrastus* Spiritu familiari usus fertur, quem capulo ensis inclusum circumduxerit.

§. 20. Cæterùm quando Anabaptistarum genuina Soboles paulo post *Libertini* exstiterunt, cum quibus multum olim negotii *Calvino* fuit, ita fieri omninò potuit, ut & hi in sententiam auctorum suorum manibus irent pedibusq;: Nam *Quintinista* & inter eos *Antonius Poiquius, Bertrandus, Claudinus, Persevalus*, aliique, cum statuerent, unum tantùm esse Spiritum, eundemque immortalem, quod prædicatum Deo vendicabant, jam *Angelos* fingebant, nihil aliud esse, quam inspirationes aut motus, non creaturas essentia præditas. Diabolum verò, mundum, & peccatum accipiebant pro imaginatione, que nihil est. Vanas dicebant de Diabolo esse cogitationes, que veluti somnia oblivione obruenda sint; ita mentem illorum exponit *Calvinus* in *Opuse. instruct. adversus fanaticam & furiosam sectam Libertinorum* Cap. 11. 12.

§. 31. Anabaptistarum & Libertinorum vesaniæ postmodum se addixit *David Georgius, Delfensis Batavus*, homo ad omnem proterviam factus, qui virus suum disseminare, licet clanculum & sub forma moderatissimi animi, per viginti & amplius annos, usque dum Anno 1552. infelicem efflaret spiritum *Basileæ* inprimis allaboravit, post mortem effossus, & igni subjectus Anno 1559. Hic eò nequitia progrediens, ut se *Davidem secundum*, se spiritum esse, & *Christum Messiam*, cujus *Præcursor Christus*, ut *hujus Johannes fuerit*, asserere non vereretur; inter infinitam absurdissimorum dogmatum farraginem & hanc in medium produxit, quod *Infernus & Demones nihil sint*; Malum enim spiritum non alium agnoscebat, quàm peccatum, & pravam voluntatem hominis, qui sibi ipsi *Diabolus* sit: Hinc est, quod ita sæpè se jactaret: ubi nunc manet *Sathanas*, de quo tam multa prædicantur. Si quis credit, *Diabolum esse spiritum*, qui ante *Adamum* potestatem habuerit, ille errorem deserat, aliter enims res habet. Ego vobis *Diabolum in nihilum redigam*, ut nullibi deinde inveniatur. Pergit postea, & *Diabolum protervo ausu provocat*: Si se ipsum defendere possit, se *Georgium*



illi dicam scribere & velle, ut viventem suam & conspicuam essentiam pro-
dat, sive exterius sive interius, tum se crediturum, quod existat, sin mi-
nus, se non terri abs illo, sed negare eum, & dicere, quod non existat. Au-
ditis, ergo, ait, Diabolum non credo, mendacium illud non curo. Si da-
tur Diabolus, veniat, ajo, in apertam lucem & diem. Hinc jam ad
inficiendam angelorum Creationem, ad negandum Diabolo-
rum lapsum &c. progreditur, idq; se probaturum dicit, non solum
ad scripturam, sed imprimis ad veritatis ductum. Non est, quod plu-
ra hujus argumenti ex scelestissimo hominis insanientis ore
proferam; Dabitur in subsequentibus fortè de aliis ejus com-
matis ex scriptis hujus Georgii dicendi locus. Quæ hæctenus
adduxi, habentur in *L. Memorabilium Part. 2. C. 30. fol. 51. seq. ex
edit. quæ Anno 1551. prodit*: Id tacere non possum, quod, cum
Basileæ habitaret idem, & oboriente tempestate domus ejus
non concussa tantum, sed ferè dejecta esset, ipse crediderit, non
hoc alterius, quam Diaboli opus fuisse. Ex quo tempore etiam
ita metuit Dæmonem, ut nec noctu, nec interdiu solus relin-
qui vellet, persuasus, Diabolum perpetuò vestigiis suis inhære-
re. Quorsum sæpè, cum somno jam sepultus fuerat, è lecto exi-
liit, spectra adesse putans, quando variis tantum insomniis
vexabatur. *Conf. Adolphi Quasi Chron. fol. 312. Glimmeri Collecta-
nea p. 391. Hermannum Moded contra Anabapt. Tract. Belgicè scripto
p. 91.* Quanquam verò hæc ita fiebant, ut diximus, non vereba-
tur tamen petulantissimus mortalium, Annæ, Comitissæ in Ol-
denburg, ut Ejus Regionibus non excluderetur, eum offerre
librum, quem *Innocentiam Davidis Jorisz* appellat, in cujus art.
5. expressè negat, unquam à se dictum esse, quod nulli essentiâ tales
& suppositalitate Diaboli existant; hoc se affirmasse, quod numerus eo-
rum in inferno existens incertus sit, & quod nullam illi, præter Dei
Confessionem, agendi vim & potestatem habeant: sed statim addit:
*Si secus habet, ostendant in meo corpore illam potestatem. Age verò si
est, qui, postquam verbum caro factum est, de Sobole & Progenie Dia-
boli super sit, ille loquatur pro eo: Ego David illum in N. T. pro se ipso
non esse dico, nullius potestatis esse dico, præter hominem nempe &
Dei iram. Homo sibi ipsi inimicus & Diabolus est. De nullo ut magis,
quàm se ipso caveat, necessum habet, &c.* Obscura omninò verba,
sub quibus nebulo latere possit. Sed plura de hoc homine &
incredi-

incrédibili ejus protervia non refero: Vitam ejus & acta cum plures descriperint, quos recenset *Hoornbeckius in Summa Controv. L. 6. p. 388.* nobis allegasse sufficiat ex Nostratibus *Stolterfothium in pecul. adversus hunc hominem Libro*, & ex Reformatis *Spanhemium in Diatriba Historica de Origine, Progressu & Sectis Anabaptistarum*, additam *Gangranae Theologicae, Anabaptisticae Glop-penburgii p. 213 seqq.*

§. 32. Nunc ad eos ut progrediar, qui non tam scriptis, quam aperto ore Dæmonum inficiati Existentiam fuerunt, vix adduci possum. Pertineret huc omnis Atheorum grex; cujus expurgare velle stabulum, quantum saltem ad præsens argumentum attinet, & invidiosus, & non unius operis labor foret. Ut aliquid saltem dicam: *Francisco Petrarca*, qui circa annum C. 1340 floruit, & aulæ Romanæ peritissimus erat, facile fidem habeo, asserenti *Epistola 16. quod Roma inter fabulas & jocos recensetur Carnis Resurrectio, Mundi interitus, & Christi tandem Reditus ad Judicium: quidni & Diabolorum adeò existentia? Si Antonium Zimaram, Philosophum Italum, hic producere in medium placeret, idem nobis prolixè loqueretur. Ille enim *Probl. V.* ubi quærit: *Quare Monachi Magis exhorrescant mortem, atque homines alii?* Respondet: *hoc ideò fieri, quia animo anguntur, propterea, quoniam cum morte sua & corpus suum & animam in nihilum redigi credunt, tumq; adesse tempus sentiunt, quo præsentis vitæ dulcedine exati, quò ferantur, nesciunt.* Plura hujus generis, quæ Atheisticum in Italorum animis furorem arguunt, vid. apud *Vlimmerum Hist. Ital. p. 509. Quirinum in Apophteg. Illustr. Vir. p. 123. Philip. Nollingium in Itin. Ital. p. 59.* In Gallia idem raptus plures in transversum egit, tempore imprimis Henrici II. circa Ann. 1547. quando Catharinam de Medicis Itali seqvebanrur in Gallia, ejusdem cum Regina ingenii; & Gallorum tum temporis Poëta, neqvissimis carminibus pro negando & Deo & Diabolo laborabant. De *Matthæo Knutzen*, Atheorum in Germania Antesignano, nuper à nobis dictum est. Sed & ille tum viva voce imprimis, tum scriptis quoque multos esse malos Dæmones affirmabat. Vid. *Philippi Ericii Virga Dei in German. p. 210.* Præter hunc de *Johanne Semecâ*, Præposito Halberstadiensi, referunt, quod per omnem vitam sibi persuadere conatus fuerit, nec Diabolum esse*

*esse, nec Judicium, nec Cælum, nec Infernum, quo animi sui sensu se-
 curè aliquandiu fruebatur, donec morti proximus, cum despe-
 ratione colluctari inciperet, in hæc verba effusus: Dum vixi-
 mus, erant, qui pro nobis choro & cantandis hymnis interessent: pro
 nobis agrum colerent, & horas Canonicas obirent. At ubi nunc vel
 unum inuenimus, qui pro nobis infernum petat? Vid. Glimmeri Colle-
 ctanea p. 213. Quirini Apophtegmatum p. 171. Quasii Chronicon fol. 319.
 Non melioris commatis erat *Fridericus Cilia Comes*, qui diem
 extremum Anno 1453. obiit. Nequissimam ille vitam egerat,
 etiam cum grandævus jam tum senex esset, & nonagenario
 major; aliquando hæc proferebat animi sensa: *se nescire infer-
 num, quia nec morbo unquam, nec paupertate agitatus fuisset: Cælum
 sibi notum esse, sed quod in edendo, bibendo, exercendo, venere con-
 sistat. Cùm moneretur de instanti morte, respondebat: Diu de
 illa cogitavi; inscriptionem etiam concinnavi, quam monumento meo
 lapideo incidi volo, & hæc est: Per hanc Januam transeo in infernum:
 Quid ibi reperturus sim, nescio: quid relinqvam, scio. Omnium rerum
 abundantiam habui, de omnibus illis nihil mecum aufero, ne hoc qui-
 dem, quod edi & bibi, aut per immodicas voluptates meas percepi. vid.
 Andr. Olphardi Hist. Hungar. fol. 290. Julius Wilhelmus Zinckgreff in
 Apophtegm. Agmen tandem claudat miles, sub signis Wallenstei-
 nii Anno 1625. stipendia merens; ita verò ille: si vel unum è capil-
 lis meis capiti inharere scirem, qui aut sciret aliquid aut cogitaret de
 Deo & Cælo, de Diabolo & inferno, extemplo illum eradicarem. vid.
 Henr. Sebaldus in Breviar. Histor. p. 273. & Godofredus Neimius de
 bello Germ. p. 207. Abrumpo telam; neque enim ut plura hujus
 generis cumulemus, ratio fert & nostri seculi, & ingeniorum
 varietates; (plura tamen habet, cui hæc accepta ferimus, Vir
 Clariss. S. de Vries in Belgico Opere, hoc ipso Anno (ut fert ti-
 tulus) publicæ luci commisso, cujus Inscripção est: *Sathanas in
 Essentia sua, proprietatibus, operationibus, & Phantasmatibus obje-
 ctis declaratus, Historico Tractatu &c.*) Quæ dato studio in his pa-
 ginis ommissa sunt, cùm recentissimorum Auctorum sententias de
 Demonibus concernant, aliam sibi operam proximè
 deposcent.**

S. D. G.

Umg. VI 59

ULB Halle 3
004 186 672




f
56.

VD 17.

Jun. 2000 RU,







Q. D. B. V.
DE
DÆMONOLOGIA
RECENTIORUM AUCTO-
RUM FALSA,

Disputabit publicè

NATHANAEL Faldt / SS.
Theol. Lic. & Ejusd. vocatus apud Steti-
nenses in Gymnasio Regio Prof. Prim. ibidem ad D. Mariæ
Pastor, ac Præpositus; hætenus Collegii Philos. in
hâc almâ Adjunctus, & h. t. Decanus.

RESPONDENTE

JOHANNE Surmann /

Bistricio - Transylv.

In Auditorio Majori,

Die I. Octobr. A. O. R. M. DC. XCII.

Horâ Pomerid.

VVITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII

33

3763

L.M.

